MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80596-28

AUTHOR:

DIETRICH, CARL W.

TITLE:

QUAESTIONES GRAMMATICAE

PLACE:

FRIBERGAE

DATE:

[1842]

Master Negative #

92-80596-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG92-B26791        Acquisitions    NYCG-PT
Record 1 of 0 - SAVE record
+
 ID:NYCG92-B26791          RTYP:a    ST:s   FRN:   MS:   EL:      AD:04-17-92
 CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:      UD:04-17-92
 CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
 PC:s      PD:1842/           REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
 MMD:      OR:    POL:    DM:     RR:         COL:      EML:     GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Dietrich, Carl Wilhelm.
 245 10   Quaestiones grammaticae‡h[microform].‡cScripsit M. Carolus Guilelmus D
     ietrich.
 260      Fribergae,‡bImpressit Gerlachius,‡c[1842].
 300      19 p.
 LDG      ORIG
 QD       04-17-92
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 14x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 05.27.1992   INITIALS: Em C

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



QUAESTIONES GRAMMATICAE.

SCRIPSIT

M. CAROLUS GUILELMUS DIETRICH

GYMNASII COLLEG. VII.

ET

AD MEMORIAM

HENRICI ECKHARDTI
EJUSQUE SORORIS

ET

JOANNIS AUGUSTI SIEGHARDTI

IN GYMNASIO FRIBERGENSI

D. XV. APRIL. MDCCCXLII. HOR. IX. MATUTINA

PIE CELEBRANDAM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

COLLEGARUM NOMINE AC SUO

MAURITIUS GUILELMUS DOERING

GYMNASII CONRECTOR.

FRIBERGAE

IMPRESSIT GERLACHIUS.

Quod Graeci sermonis pariter atque Germanici fert consuetudo, ut adjectiva cum articulo conjuncta, omissis hominum vel virorum nominibus, substantivorum loco usurpentur, id alienum esse a Latini sermonis consuetudine, quoniam articulo Latini caruerunt, saepe a grammaticis observatum est. Itaque reprehensionem tulit, qui scripsit: artem ingenuo ac libero dignam; praecipiunt, dicendum potius esse: artem homine ingenuo et liberaliter educato dignam. Neque magis latinum esse, doctum, indoctum, bonum commemorare, nisi addas virum. Vid. Krebs. in Antibarbaro ling. Lat. pag. 22. Verumtamen, qui loquendi consuetudinem accuratius animadverterant, plurali certe numero adjectivorum hoc concesserunt, ut doctos, indoctos, peritos, imperitos*) dicere liceret, non additis hominum vel virorum vocabulis; quem tamen adjectivorum usum arctissimis finibus circumscriptum esse voluerunt; veluti Handius, qui in libro: Lehrbuch des latein. Stils, 1833, pag. 160. in ejusmodi tantum sententiis erubescunt pudici impudica loqui — hoc licitum esse existimavit; neque is in altera illius libri editione, quantum quidem ex ejus censura**) colligi potest, ea quae in priore posuerat, emendavit. Sed multo latius patere illum adjectivorum usum, quam viri docti opinati essent, jam alio loco***) indicaveram, ubi quidem paucis tantum exemplis ad rem comprobandam uti licuit; in quibus quum verendum sit, ut ii acquiescant plane, qui de illo adjectivorum usu dubitationes moverunt, non inutilem operam et iis, qui ipsi latine scribendi artem factitant, et qui aliis ejus artis praecepta tradunt, me exhibiturum esse sperabam, si paullo copiosius hanc rem, quam breviter grammatici attigerunt, illustrarem. Qua quidem in quaestione nemini mirum videbitur, quod ex Ciceronis potissimum scriptis locos, quibus uterer, petivi: praesertim quum angusti hujus libelli fines, quo minus longius progrederer, impedirent.

Jam de re ipsa, quae in disceptationem vocata est, ea fuit sententia mea, ut non singula aliqua adjectiva (quae Krebsii opinio videtur fuisse), sed omnia fere pro substantivis usurpari posse existimarem, si quidem ex ipsa verborum compositione satis intelligitur, adjectiva habere vim substantivorum. Itaque tota res minus certis quibusdam praeceptis confici poterit, sed omnia ad rationem ipsam atque ad naturam singulorum locorum revocanda sunt, plusque hac in re valebit judicium quam exemplorum auctoritas.

---

*) Vid. R. Klotzii annotat. ad Cic. Lael. V, 17. pag. 115, qui primus hunc grammaticorum errorem notavit; neque Krebsium hoc praeterisse videtur, qui in Antib. ling. lat. p. 137 s. v. doctus meliora docuit, quam antea. pag. 22, docuerat.

**) Vid. Harless. in libro: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. a. 1840. nr. 52. pag 430.

***) Vide eundem librum, quem modo nominavi. a. 1837. nr. 44. pag. 367 sq.

Et primum quidem, quum ea sit vis atque natura adjectivorum, ut non res aut homines ipsos, sed tantum notas rerum atque animantium significent, facile intelligitur, alia adjectiva pro substantivis poni non posse, nisi quorum ea est ratio, ut praeter notae significationem simul certum aliquod rerum aut hominum genus, quod illa nota insigne est, comprehendant. Itaque doctos, indoctos, probos, improbos, pios, impios dicere licebit; non licebit maximos, summos, mediocres, tenues dicere; quoniam cujus rei intelligenda sit magnitudo vel mediocritas, vel tenuitas, non apparet, nisi nomen ipsum, ad quod referendum est adjectivum, proxime antecesserit, aut omnino quae notio adjectivo subjecta sit, ex sententiarum ratione colligi potest. Ita nemo haerebit, quum legit: locupletari tenuiores, quoniam verbi significatione simul vis adjectivi illustratur. Cfr. Cic. de off. lib. II. c. 18. §. 63. — Notio adjectivi superiores non ita est definita, ut intelligamus, utrum qui aetate, an qui loco vel ordine vel alia re antecedat, significetur; sed nulla est ambiguitas in verbis: maximum est in amicitia, parem esse inferiori superiorem (Cic. Lael. XIX. 69); itemque quum in lib. II. de orat. c. 38. §. 160 (cl. §. 182) legimus: artes omnium superiorum — ex iis, quae antea disputata sunt, videre licet, significari rhetores, qui aetate antecesserint. Cfr. Cic. de off. lib. II. c. 19. §. 65. — Ita minores qui sint, non potest intelligi, nisi cetera orationis verba id indicent, veluti in Cic. Brut. LXV. 232. Non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc aetatem esse venturum: sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut jam ad minores etiam pervenerim. — Nec magis intelligi potest, qui sint proximi, quum vel tempore vel dignitate vel alia re quis proxime ad alterum accedere possit. Sed quod ambiguum est in notione hujus vocabuli, id tollitur atque ipsius sententiae vi illustratur, quum legimus: quod faciendum est omnibus, ut si quam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecuti sunt, impertiant ea suis communicentque cum proximis; ut si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes &c. (Cic. Lael. XIX. 70) ubi posteriora verba satis declarant, proximos hoc loco dici parentes atque propinquos. Vid. Heusingeri annotat. ad Cic. de off. lib. I. c. 14. §. 7. — Conf. Cic. de re publ. lib. I. c. 34. §. 53 quum enim par habetur honor summis et infimis &c. Id. pro Mil. VII, 17. Intersit inter vitae dignitatem summorum atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur et legibus — quo utroque loco vis totius sententiae ambiguitatem tollit. Sed non necessarium esse existimo, rem pluribus persequi, quum exempla regulam constituere non possint, sed ponderanda sit potius ratio sententiarum verborumque conjunctio. Id tantum efficere volui, ut intelligeretur, non esse hac in causa de singulorum quorundam adjectivorum usu quaerendum (quod qui faciunt angustioribus, quam par est, finibus rem circumscribunt), sed omnia adjectiva pro substantivis poni posse, si quam vim habeant, ex ipsius sententiae ratione perspicitur.

Ad eam vero cautionem, quam in horum adjectivorum usu notavimus, ut eorum notio satis sit definita, aut ceteris orationis verbis illustretur, accedit alia, ut ne omittamus significationem rei, ad quam notio adjectivi pertinet. Multa enim sunt adjectiva, quae absolute, ut ajunt, usurpari non possunt. Veluti recte praecipiunt, non licere dignos nominare, nisi res, qua quis dignus sit, simul commemoretur. Sed hac quoque in re quidam nimis fuerunt religiosi, opinantes, non posse hoc adjectivum usurpari, nisi res, qua quis dignus sit, nominatim afferatur, aut enuntiatum aliquod relativum huic adjectivo adjungatur. Cui quidem opinioni merito occurrit Stuerenburg. in commentar. ad Cic. or. pro Arch. c. IV. §. 6. p. 57. Conf. quae Fabri ad Liv. lib. XXI. c. 48.

§. 6 et lib. XXIV. c. 16. §. 9 de hac re annotavit. Saepe igitur Latinis dicuntur digni et indigni ita, ut ex ceteris orationis verbis intelligendum sit, quo referatur vis adjectivorum. Itaque recte quidem Wopkens. in Lect. Tull. p. 80 ed. Hand. defendit locum in Cic. Tusc. disputatt. lib. II. c. 5. §. 14. Quid enim minus est dignum, quam tibi quidquam pejus videri dedecore? — sed iis argumentis usus est, quibus uti non licuit, dicens, hoc vocabulum a Latinis nonnunquam etiam absolute usurpatum esse: quod ut cadat in Plautum et Senecam, quorum ex scriptis nonnulla exempla attulit, tamen non cadit in Ciceronem. Nam illo quoque loco ex ceteris verbis, quo referenda sit vis hujus adjectivi, facile intelligitur. Quae vero sit Handii opinio Bentlejum ad Horat. Serm. II, 1. 58 et Gierigium ad Ovid. Fast. I. 401 laudantis, non satis liquet, quum hi ipsi, quos citavit, absolute quidem hoc adjectivum a Latinis usurpatum esse dicant, sed ejusmodi attulerint locos, in quibus dubium esse non potest, quo referatur vis adjectivi. Incertum igitur est, quem absolutum hujus adjectivi usum intelligi voluerint. Itemque Kritzius in errore versatur, quum a Sallustio hoc adjectivum absolute usurpatum esse dicit, nisi forte eum usum absolutum esse voluit, quum quidem nihil adjunctum est adjectivo, quod ex eo aptum sit, sed tamen non deest, quo referatur. Nam quum in Catil. c. 35. §. 3 legimus: publicam miserorum causam mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem — — sed quod non dignos homines honore honestatos videbam — nemo ignorare potest, dignos homines dici, qui honore sint digni; atque similiter c. 51. §. 8 ubi haec leguntur: Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo — verba pro factis*) id continent, quo referenda est vis adjectivi; eademque est ratio loci §. 27. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignavos aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur — ubi ex tota sententiarum ratione intelligitur, homines poena dignos significari. Cfr. Cic. de off. lib. I. c. 26. Quae (res familiaris) primum bene parta sit, nullo neque turpi quaestu, neque odioso: tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat. Id. Lael. c. XXI. §. 78. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiant neve non dignos. — Jam quod de his duobus adjectivis dignus et indignus disputavimus, id in cetera adjectiva et verba omnia, quae quidem vim relativam habent, convenire existimo, ut non opus sit rem, ad quam

*) Quam vim habeat in his verbis praepositio pro, non satis convenit inter viros doctos. Herzogius quidem putavit, pro, ut graecum ἀντί, indicare rationem mercedis et pretii (coll. Corn. Nep. Themist. c. VIII. §. 7 pro meritis gratiam referre); Kritzius vero comparationi eam inservire existimat, ut rei ad alteram relatae ratio accuratius definiatur. Mea quidem opinione dubitari non potest, quin Kritzii interpretatio sit praeferenda. Etenim quum adj. dignus aliquid requirat, quo referatur, id ipsum non quidem eo casu positum est, quem hoc adjectivum adsciscere solet, sed liberiore modo id, quod sententia flagitat, adjunctum est, neglecta vulgari structurae ratione. Qua quidem in re eo minus haerendum esse censeo, quum etiam aliis in adjectivis id factum esse videamus, ut non eo modo cum ceteris enuntiati alicujus verbis conjungerentur, quo secundum grammaticorum praecepta hoc fieri oportuit. Ita in Plaut. Mil. IV, 1, 21. legimus: Ad tuam formam illa una digna est — ubi non de confusione duarum constructionum, quod Lindemanno visum est, cogitandum esse censeo, sed praepositio ad, similiter ut illo Sallustii loco, comparationi inservit verbisque ad formam id continetur, quo referenda est vis adjectivi digna. Cfr. Cic. or. pro Fontej. c. XV. §. 33. Quae si diligenter attendetis — — virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac disciplinam peritum, ad consilia prudentem — — retinere maletis.

vis verbi vel adjectivi spectat, nominatim afferre, si quidem quod verbis ipsis non est expressum, cogitatione facile assequi possumus. Ita in Bruto c. 42. §. 154 legimus: Cumque discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo &c., ubi ea, quae antecedunt, satis declarant, intelligendos esse homines dicendi peritos.*) Nec magis vere absolutum hujus adjectivi usum esse dixerim in lib. I. de orat. c. 23. §. 109 et lib. III. de off. c. 3 extr. Vid. Fabri annot. ad Liv. lib. XXIII. c. 25. §. 6. — Cic. de off. lib. II. c. 18. §. 62. In iis tamen, qui se adjuvari volent, non ut ne affligantur, sed ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullo modo debemus: sed in deligendis idoneis judicium et diligentiam adhibere. Ibd. lib. III. c. 3. §. 15. Quod item in poematis, in picturis usu venit, — ut delectentur imperiti, laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in una quaque re vitii sit, nequeant judicare; itaque cum sunt docti a peritis, desistunt facile sententia. — Attamen hac in re aliquid tribuendum est loquendi consuetudini. Cum enim peritus dici non possit, nisi in promptu est, quo referenda sit notio adjectivi, liberiorem esse videmus hujus aliorumque adjectivorum usum apud posteriores scriptores; veluti apud Plinium Secundum, qui plus semel studiosos simpliciter ita commemorat, ut aut discendi studiosi, aut homines literati, qui vocabantur, intelligendi sint.**) Conf. lib. III. ep. 5. §. 2. lib. IV. ep. 13. §. 17. Idemque peritum nominavit, quem veteres vel eruditum vel usu peritum appellarunt. Cfr. lib. I. ep. 20. §. 1. Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine et perito &c. Contra apud Ciceronem in or. pro Cluent. c. VII. extr. legimus: ille sapiens homo ac multarum rerum peritus. Sed alienum est a proposito, copiosius de hac re dicere: quam adumbrare tantum atque breviter perstringere volui.

Quum igitur nulla dubitatio videatur esse, quin adjectiva pro substantivis poni possint, si certum aliquod hominum genus iis comprehendatur, hoc etiam facile animadverti potest, huic usui pluralem numerum multo esse accommodatiorem, quam singularem. Nam quum bonos, probos, improbos dicimus, nemo non intelligit, totum genus proborum aut improborum significari; verum si quis singulari numero horum adjectivorum utitur, haud raro ambiguitatem quandam oriri necesse est: ut nescias, utrum unus tantum, an omnes, qui illa nota sint insignes ideoque genus quoddam constituant, significentur. Hinc factum est, ut Latini, si adjectiva pro substantivis ponerent, raro singulari numero uterentur, nisi ubi tota sententiarum ratio ita comparata erat, ut ambiguum esse non posset, quae notio adjectivo esset subjecta.***) Quo quidem loco iis occurrendum est, qui nimiam hac in re diligentiam adhibuerunt atque singularem adjectivorum numerum usquequaque fugiendum esse existimarunt. Ita Fridemannus atque Krebsius, quod supra commemoravi, Ruhnkenium vituperarunt, quia scripserat artem ingenuo ac libero dignam; similiterque Handius l. c. pag. 160 singulari adjectivorum numero abstinendum esse docuit; sed non meminerant, Ciceronem plus semel ita locutum esse, atque omnino hunc usum adjectivorum non prorsus evitasse.

*) Absolute tamen dicitur, usu peritus. Conf. Cic. de off. lib. I. c. 41. §. 147. Nec vero alienum est, ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines vel etiam usu peritos, et quid iis de quoque officii genere placeat, exquirere

**) Apud eundem Plin., atque etiam apud Tacitum, studere simpliciter saepe dicuntur ii, qui aut literis omnino, aut arti rhetoricae operam dant; quod prorsus abhorret a sermone Tulliano. Vide Cellarii annotat. ad Plin. lib. II. ep. 8. §. 1 et Boetticher. in Lexic. Tacit. s. v. studere.

***) Vide Handii librum, qui inscribitur: Lehrbuch des latein. Stils. 1833. pag. 183.

Cfr. lib. I. de orat. c. 4. §. 17. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi. Lael. c. XXIV. §. 88. In obsequio autem comitas adsit, assentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Sallust. Catil. c. XXX. §. 6 decrevere servo libertatem — libero impunitatem. Vid. Heusingeri annot. ad Cic. de off. I. c. 42 extr. Atque ut hoc, ita alia adjectiva et participia singulari numero posita esse videmus. Cfr. Brut. c. XXXXIX. §. 188 quid est, quod exspectetur docti alicujus sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Orat. c. XXII. §. 74 quod si poeta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo stultove sapientis. Brut. c. LXVI. §. 233. Nam hujus aequalis et inimicus C. Fimbria — — ita furebat, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Lib. II. de orat. c. 44. §. 186 medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis — cognoscenda est. Ibd. III. c. 51. §. 197. Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in judicando. Lib. II. de off. c. 20. §. 70. Videndumque illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut forte in liberis ejus manet gratia: sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles — — praesidium sibi paratum vident. Ibd. c. 14. §. 51. Nec tamen, ut hoc fugiendum est (eloquentiam ad bonorum perniciem convertere), item habendum est religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque defendere. Lib. I. Tusc. disp. c. 36 extr. carere enim sentientis est: nec sensus in mortuo: ne carere quidem igitur in mortuo. Or. pro Mil. c. XVIII. §. 47 scitis fuisse qui dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Lael. c. XVI. §. 57 quam multa enim quae nostri causa numquam faceremus, facimus amicorum! precari ab indigno, supplicare &c. Ibd. c. XV. §. 54 nec quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Sallust. Catil. c. LIV. §. 5 non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Cic. de nat. deor. lib. I. c. 35. §. 98 postremo nisi in homine atque mortali. — Cic. Orat. c. XVII. §. 55. Itaque ille perfectus (orator) — utcumque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum. Id. de off. lib. II. c. 14. §. 48 magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis. Orat. c. X. in. nihil difficile amanti puto. Ibd. c. XXIII. §. 76. Nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.*) Lael. c. XXVI. §. 99 aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Lib. II. de orat. c. 44. §. 186. Facilius est enim currentem, ut ajunt, in-

*) Liberiore etiam modo his participiorum dativis usi sunt scriptores inferioris aetatis, veluti Tacitus. Cfr. Germ. c. VI. in universum aestimanti plus penes peditem roboris — de qua re Peter in annot. ad Cic. orat. l. c. Bothium ad Tacit. Agric. p. 202 et Walchium ad Agric. p. 192 disseruisse ait. Vid. Boetticheri Lex. Tacit s. v. dativ.

citare, quam commovere languentem. Ibd. §. 187 tantam vim habet oratio, ut non modo inclinantem excipere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem ut imperator bonus ac fortis, capere possit. Lib. I. de off. c. 40. §. 145. Ut in fidibus aut in tibiis quamvis paullum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet, sic &c. Lael. c. XXI. §. 81. Quodsi hoc apparet in bestiis — ut ipsae diligant se — id enim pariter cum omni animante nascitur &c. — Sed ut haec et similia praetermittam, jure quodam singularem numerum usurpare licet in adjectivo nullus. Quum enim Latini scriptores genitivum neminis itemque ablat. nemine prorsus vitarent, nonnulli etiam, ut Livius, dativo nemini raro uterentur, factum est, ut nullius, nulli, nullo pro illis ponerent; quam quidem rem tetigisse satis est, quum copiose de ea egerint R. Stuerenburg. in commentat. grammat. II. c. 2 et c. 10. Haasius in annot. ad Reisigii schol. de ling. Lat. p. 348 sq. Contra nominativo casu hujus adjectivi itemque accusativo (nullus — nullum) prorsus abstinuerunt semperque dixerunt nemo, neminem. Nec raro, si a nominativo casu discesseris, singularem numerum adjectivi ullus substantivi loco positi reperiri videmus; cujus rei exempla attulerunt Stuerenburg. l. c. pag. 198 sqq. Fabri ad Liv. XXIV, 47, 10 cl. lib. XXII. c. 60. §. 6. Atque similiter pronomina indefinita aliquis, quisquam, quispiam, quisque,*) alius cet., et numeralia alter, neuter, uterque singulari numero substantivorum loco usurpari posse, vix est quod commemorem.

Minus etiam ambiguitatis hic usus adjectivorum vel participiorum habet in vulgari illa genitivi conjunctione cum verbo esse, quae ita comparata est, ut natura adjectivi pro substantivo positi facile agnoscatur. Cfr. Cic. Lael. XVII, 63. Est igitur prudentis sustinere ut currum sic impetum benevolentiae. Lib. I. de off. c. 23. §. 80. Fortis vero et constantis est, non perturbari in rebus asperis. Ibd. c. 24. §. 83. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est: subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis. Ibd. c. 28. §. 99 nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti. Lib. I. Tusc. disp. c. 33. §. 80. Haec refelli possunt; sunt enim ignorantis, quum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici. Lib. II. de divin. c. 72. §. 148. Nam — majorum instituta tueri — sapientis est. Lael. c. IV. §. 14 quocirca maerere hoc ejus eventu, vereor ne invidi magis, quam amici sit. Ibd. c. XVIII. §. 65 aperte enim vel odisse magis ingenui est, quam

*) Veteres scriptores, qui ante Augusti aetatem extiterunt, singulari tantum hujus pronominis numero usos esse nec unquam dixisse optimos quosque pro optimo quoque, docuit Haasius l. c. pag. 351 sq. Quod etsi verum est omnino, iisque qui latine scribunt non negligendum, tamen in eo erravit, quod veteres hoc usu prorsus abstinuisse declaravit. Cfr. Cic. Lael. X, 34 pestem nullam majorem esse amicitiis, quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriae. Jam si quis dicat, idcirco pluralem numerum hoc loco positum esse, quoniam plerique antecedat, ne haec quidem necessaria erat causa, cur Tullius ita scriberet. Nam consimili loco, ubi item pluralis numerus adjectivi antecessit, nihilominus singularis numerus hujus pronominis sequitur. Cfr. epp. ad Fam. IX, 14. 7 summa severitas — quum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Atque quum idem Haasius l. c. animadvertit, ne substantivis quidem pluralis numeri hoc pronomen adjungi solere, nisi in quibus numerus singul. non sit usitatus, hujus quoque rei, quod contrarium est, reperitur exemplum apud Ciceronem. Cfr. lib. II. de divin. c. 42. §. 89 vim esse talem, ut ejus orbis unaquaeque pars alia alio modo moveat immutetque caelum, perinde ut quaeque stellae in iis finitimisque partibus sint quoque tempore.

fronte occultare sententiam. Acad. lib. I. c. 1. §. 2 intemperantis enim arbitror esse, scribere, quod occultare velit. Lib. III. de nat. deor. c. 10. §. 26. Sit sane arrogantis, pluris se putare, quam mundum. At illud non modo arrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum et rationem. Lib. II. de orat. c. 81. §. 333. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti et diserti, ut*) mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Corrigenda sunt igitur, quae praecepit Krebsius in Antib. s. v. esse. pag. 202. „Ungewöhnlich ist auch zu sagen: Stulti, prudentis, sapientis (und ähnliche Adjectiven) est, für den Plural: stultorum, sapientium, prudentium est.“ Immo singularis numerus adjectivorum in hac verborum conjunctione etiam frequentior videtur esse, quam pluralis; cujus quidem exempla in Grammaticorum libris frustra quaesivi. Hoc loco commemoranda est etiam illa ratio, qua adjectiva vel participia cum infinitivis esse, fieri, videri conjuncta praedicati locum tenere solent; quod ubi fit, singularis adjectivorum numerus non solum usitatissimus est, sed videntur etiam Latini scriptores hac in re plurali ne usi quidem esse. Quod etsi notissimum est, illis infinitivis adjungi adjectiva et participia singularis numeri, tamen haec res ab iis, qui singularem adjectivorum numerum vitandum esse docuerunt, non erat praetermittenda. Cfr. Cic. Parad. VI. c. 3. §. 5. Non esse cupidum, pecunia est; non esse emacem, vectigal est; contentum vero suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque divitiae. Lib. IV. Tusc. disp. c. 12. §. 27 aliud est iracundum esse, aliud iratum. Lib. II. de finib. c. 17. §. 54 quid est enim aliud, esse versutum &c. Cic. de off. lib. II. c. 18. §. 64. Conveniet autem cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum: in omnique re contrahenda aequum et facilem; multa multis de jure suo cedentem: a litibus vero — abhorrentem. Ibd. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Ibd. c. 19. §. 67. Cum autem omnes non possint aut juris periti esse aut diserti: licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem judicibus, vigilantem pro re alterius &c. Lib. I. c. 26 extr. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere.**) — Etsi igitur Latini scriptores singulari adjectivorum numero non abstinuerunt, omnium tamen rarissime nominativus adjectivorum et participiorum casus reperitur, et qui ex Ciceronis scriptis afferri possunt loci, plurimi alius sunt generis. Nam quum in Bruto c. LIII. §. 198 legimus: at vero intelligens et doctus audiens Scaevolam sentiret, esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius — non quivis homo in quem hoc cadat, ibi significatur, sed judex, cujus antea mentio facta erat. Nec alius est generis locus §. 199 qui praestat igitur intelligens imperito? — aut Orat. c. XVII. §. 55. Itaque ille perfectus quem jam dudum nostra indicat oratio &c., ubi, qui ea quae antecedunt legit, non ignorat, altero loco auditorem, altero oratorem signi-

*) Hic locus documento potest esse, etiam ea, quae ut vitiosa notari solent, nonnunquam recte se habere. Praecipiunt enim grammatici, nec temere id faciunt, verba meum, tuum, vestrum est, patris est, similia cum infinitivo, nec vero cum particula ut et conjunctivo conjungenda esse; sed erravit Krebsius, quum in Antib. ling. Lat. p. 202 docuit, ne latinum quidem esse, ita loqui; quod quamquam a consuetudine abhorret, tamen hoc loco propter singularem verborum conjunctionem non sine causa ita scriptum reperimus.

**) De ratione, qua v. licet cum accusativo et infinitivo conjungitur, quod nonnullis offensioni fuit, vid. R. Klotz. in Quaest. Tull. lib. I. pag. 70. Weissenborn. Gramm. Lat. §. 322.

ficari. Lib. II. de off. c. 20. §. 69. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest — quo loco quae proxime antecedunt: sed quis est tandem, qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? — ostendunt, viri nomen cogitatione repetendum esse. Lael. c. XXVI. §. 99. Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors: callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Attamen concedendum est, eos locos, ubi adjectivis pronomina demonstrativa adjuncta sunt, propius accedere ad eorum similitudinem, in quibus adjectivum recte dicitur subjecti locum tenere; cujus quidem generis ex Ciceronis scriptis quem afferam locum, unus tantum praesto est, in Tusc. disp. lib. I. c. 36. §. 88. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget. Cfr. Sallust. Catil. c. XV. §. 2. cujus praeter formam nihil unquam bonus laudavit. Ibd. c. XXI. §. 2. nam gloriam, honorem, imperium bonus ignavus aeque sibi exoptant. — Nec magis loquendi consuetudini convenit participiis singularis numeri subjecti locum concedere; nam qui exempli gratia afferri potest locus ex Cic. Orat. c. XXV. §. 83. Illam autem concinnitatem — — adhibet quidem hic subtilis (orator) — — sed paullo parcius. Nam sicut in epularum apparatu a magnificentia recedens non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet, eliget, quibus utatur — ejus quae sit vera ratio, etiamnunc dubitari potest. Voluit quidem Peter in his verbis participium subjecti locum tenere, ita ut recedens is esset, qui recedit: sed quum hoc prorsus abhorreat a Tulliana consuetudine (vid. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 171. A. 2. c. pag. 663), nescio, an praeferenda sit Meyeri interpretatio, qui subjectum indefinitum (aliquis) cogitatione addendum esse censuit; nisi forte praestat ex superioribus verbis hic subtilis nomen viri cogitatione repetere. Sed ut revera participium hoc loco subjecti vim habeat, tamen quae vix semel reperiuntur, ad imitandum proponi non possunt. Itaque non immerito Wuestemannus vituperavit Doeringium in Commentat. scholast. p. 16 scribentem: In legendis autem et explicandis eorum libris, qui dicendi studia aut praeceptis aut exemplis exhibitis conformarunt, ita versabitur recte fungens docendi munere &c., quum dicendum esset: is, qui recte fungetur docentis munere. — Tametsi igitur ex iis, quae attulimus, intelligi poterit, nec prorsus inusitatum esse Latinis scriptoribus in hac re singularem adjectivorum numerum, et nonnunquam frequentiorem etiam. quam pluralem, unoque in genere soli singulari numero locum esse: tamen sunt quaedam adjectiva, quae nisi addito hominis vocabulo aut pronomine aliquo indefinito, singulari numero poni non solent. Quorum quidem in numero referenda sunt adj. gentilia; veluti Romanus, Graecus, Arpinas, Thebanus, similia. Itaque dicere non licet: novi Arpinatem pro homine Arpinate; aut novi Syracusanum pro homine Syracusano. Cfr. Cic. de orat. II, 18, 75. Brut. 85, 294. Epp. ad Att. I. 16, 5. — Orat. 70, 232 potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaco. Vid. Stinner. in libello scholast. Vratislav. 1840. pag. 5 sq. — Contra omittitur nomen substantivum, quum adjectiva illa vim collectivam habent, totamque gentem aut ejus partem aliquam indicant; ut Liv. II, 46. Sensit utraque acies unius viri casum cedebatque inde Romanus i. e. milites Romani. Ibd. c. 50 extr. vincebatque auxilio loci paucitas, ni jugo circummissus Vejens in verticem collis evasisset. Vid. Drakenborch. ad Liv. II. 45, 11. III, 2, 11. Nec magis addi potest nomen subst., si gentilibus illis unus aliquis, qui inter ceteros auctoritate eminet. significatur; uti saepe in Livii historiis legimus Poenum pro Hannibale. aut alio aliquo duce Poenorum. Vid. Fabri annot. ad Liv. XXI, 19. 5.

Sed ut ad cetera, quae de hac re dicenda sunt, pergamus, animadvertendum est etiam, facilius adjectivis pro substantivis uti licere, quum complura adjectiva sibi adjunguntur, aut aliis adjectivis vel substantivis opponuntur. Ne ea hujus generis exempla repetam, quae supra jam allata sunt, conferas Cic. Lael. c. XX. §. 74. nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod &c. Or. in Catil. I. c. 13. §. 32. Quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur. Brut. c. XXXXIX. §. 183. Semperne in oratore probando aut improbando vulgi judicium cum intelligentium judicio congruit? Ibd. c. LI. §. 190. de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sunt, eosdem intelligentium quoque judicio fuisse probatissimos. Lib. I. de off. c. 1. §. 1. non modo Graecarum literarum rudes, sed etiam docti. Acad. lib. II. c. 3. §. 9. Nam quod dicunt omnino, se credere ei, quem judicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes et indocti judicare potuissent. Ibd. §. 7. etsi — ea est in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa et antiquissimi et doctissimi invenire se posse, quae cuperent, diffisi sint. Lib. II. de orat. c. 43. §. 182. eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant. Or. pro Mil. c. V. §. 12. dummodo ea (gratia) nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum. Epp. ad Att. lib. I. ep. 19. §. 15. propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum. Or. pro Muren. c. XXV. §. 50. quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum qui ipse miser esset; integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros cedere non oportere. Or. pro Rosc. Am. c. XXVI. §. 72. Etenim quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Epp. ad Att. lib. I. c. 14. §. 2. concio non jucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis. Orat. c. XLII. §. 143. eodem tempore et discentibus satisfacere et consulentibus. Brut. c. XII. §. 45. nec enim in constituentibus rem publicam, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas discendi solet. Ibd. c. LXVI. §. 233. ita furebat, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Orat. c. XXVIII. §. 99. furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. Or. in Catil. I. c. 10. §. 25. nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Lib. I. de divin. c. 49. §. 110. natura deorum, a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus. Lib. II. de orat. c. 6. §. 25. dicere solebat, neque ab indoctissimis se, neque ab doctissimis legi velle. Lib. II. de off. c. 19. §. 66. Quid enim eloquentia praestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum qui defensi sunt, gratia? — Omnibus igitur his locis, quibus alii permulti addi possunt, natura adjectivorum pro substantivis positorum facilius perspicitur, quoniam complura sibi adjuncta, aut alterum alteri oppositum est. Verumtamen non desunt loci, ubi singula adjectiva, ita ut alia neque adjuncta neque opposita sint, vim substantivorum habeant; quo tamen in genere cautius est versandum, atque praecepta, quae supra posuimus, ut notio adjectivorum satis sit definita certumque hominum genus significet, deinde ut singulari numero parcius utamur, non sunt praetermittenda. Ita bonos, probos, improbos, imperi-

tos, doctos, indoctos, largos, divites, invidos, calamitosos, impios, disertos saepe commemorari videmus non additis hominum vel virorum nominibus, quoniam nemo, quum talia legit, ignorare potest, quae vis adjectivo subjecta sit. Itaque immerito Krebsius in Antib. ling. Latin. §. 34. pag. 22. Valckenarium vituperasse videtur, quoniam scripserat: Aeschinem eruditorum istius aetatis elegantissimum. Nam neque in verbis ipsis inest ulla ambiguitas, neque usus adjectivi illius abhorret a consuetudine loquendi.*) Conf. Cic. Tusc. disput. lib. II. c. 3. §. 8. nobis autem videtur, quidquid literis mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Lib. III. de orat. c. 16. §. 60. is qui omnium eruditorum testimonio — — fuit princeps. Brut. c. LXII. §. 224. Et quoniam hujus generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos L. Appulejus Saturninus eloquentissimus visus est. Orat. c. IX. §. 30. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Brut. c. LXII. §. 223. aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. Atque etiam comparativum et superlativum adjectivorum, nullo nomine addito, ita videmus usurpatum esse. Conf. Lael. c. XXV. §. 95. Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem — et levem civem et inter constantem. Lib. III. de legg. c. 5. §. 13. Faciam, Attice, ut vis: et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est, explicabo. Lib. I. de finib. c. 4. §. 11. Qua de re quum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alienum putet ejus esse dignitatis &c. Act. in Verr. II. lib. V. c. 69. in. Ego mei jam rationem officii confido esse omnibus iniquissimis meis persolutam. Acad. II. 3, 7. De divin. I. 49, 110. De orat. II. 6, 25. Atque ut superlativus adjectivorum, ita comparativus nonnunquam substantivi locum tenet. Praeter illa, quae trita sunt et nota omnibus: superiores,**) posteriores, inferiores, majores, conf. Cic. de orat. lib. II. c. 20. §. 84. Sed hoc si in jure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt; non idem sentio tanta hac in re tamque immensa posse fieri. Lael. c. XXVI. §. 99. Quam ob rem quamquam blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam allectant atque invitant; tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animadvertant, ne callida assentatione capiantur. Plin. epp. X. 5, 1. admonitus sum a peritioribus.

Denique hoc etiam observandum esse censeo, non nihil saepe interesse, utrum adjectivis hominis vel viri vocabula addamus, necne. Nam ut illud praetermittam, quod viri nomine adjuncto novae cujusdam notae significatio accedit prorsus diversae a notione adjectivi (unde multo parcius utendum est viri nomine, quam hominis; vid. Seyffert. in Palaestra Cic. p. 60.); fieri potest, ut etiam hominis vocabulum molestum atque frigidum sit. Primum enim vis atque notio adjectivi infringitur quasi et

*) Unum tamen est, quod in his verbis aliquis reprehendat i. e. genitivum istius aetatis aptum ex adjectivo. Quod etsi veteres scriptores vitarunt, tamen in illo participio, quod revera substantivi locum tenet, facile ferri posse existimo.

**) Apud Plinium Sec. priores etiam ii dicuntur, qui antiquis scriptoribus nominabantur majores; veluti lib. III. ep. 4. §. 5. Veniebat in mentem, priores nostros etiam singulorum hospitum injurias accusationibus voluntariis exsecutos. Eodemque aut certe simili modo hoc adjectivo usus est lib. I. ep. 11. At hoc ipsum scribe nihil esse, quod scribas, vel solum illud, unde incipere priores solebant: Si vales, bene est; ego valeo — ubi vide, quae a Cellario annotata sunt.

imminuitur, quum substantivo nomini adjunctum est; quod ubi fit, hominem magis, qui aliqua re insignis est, quam rem ipsam, quam solam spectari volumus, conspici necesse est. Tum accedit etiam, quod multo latius patet hominis notio, quam rei, de qua loquimur, naturae saepe id convenit; ita ut, si quidem adjectivo nomen aliquod addendum est, aliud potius quod angustius valet, eligendum sit. Veluti si quem doctum intelligentemque dicimus, fieri potest, ut non quemvis hominem, in quem haec laus cadat, significari velimus, sed vel existimatorem intelligentem, vel judicem, vel auditorem vel omnino aliquem, qui ejus artis, cujus antea mentio erat facta, gnarus atque peritus est. Itaque, ubi hoc fit, aut prorsus omittendum est nomen substantivum, aut ejusmodi vocabulum addendum, quod angustius, quam hominis nomen, valet. Conf. Cic. de off. lib. I. c. 44. §. 156. Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent: sed hoc idem etiam post mortem monumentis literarum assequuntur. Ibd. c. 24. §. 83. in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter aegrotantes leniter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes adhibere coguntur. Lib. II. de fin. c. 35. §. 118. opem indigentibus salutemque ferre. Quam alienum sit ab horum similiumque locorum natura, adjectivis vel participiis nomen aliquod addere, ex eo facilius perspicitur, quod, si quidem adjectivis illis pro substantivis uti non liceret, tamen neque hominis nomen neque aliud vocabulum adjungendum, sed potius dicendum esset: eos, qui discendi studiosi sunt erudire, vel eos, qui leviter aegrotant, leniter curare. — Singulare autem quiddam est, quod in usu adjectivi bonus animadvertere licet, cui veteres scriptores viri nomen modo addiderunt, modo significatione paullulum mutata, simpliciter dixerunt bonum. Etenim loquendi consuetudo ita tulit, ut communi et populari sermone bonos dicerent simpliciter, quo distinguerent a malis et improbis. Cfr. Cic. Lael. c. XII. §. 42. praecipiendum est igitur bonis, improbis autem poena statuenda est. Ibd. c. XX. §. 74. nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt. — Huic finitima est ea notio, quam philosophi inprimisque Stoici huic nomini tribuerunt, qui virum bonum eundem esse voluerunt, quem alias perfectum hominem aut sapientem nominarunt.*) Atqui innumerabilibus locis, ubi adjectivum hanc vim habet, reperitur nomen viri boni; admodum raro boni, omisso viri vocabulo. Hinc factum est, ut vel tum viri vocabulum huic adjectivo adderetur, ubi inter plura alia adjectiva, quae substantivorum locum tenent, interpositum est, aut, quum hominis voc. antecedat, viri nomen prorsus abundare videtur. Conf. Cic. de off. lib. III. c. 13. §. 57. Hoc autem celandi genus quale sit et cujus hominis, quis non videt? certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non boni viri: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis &c. Ibd. c. 19. §. 75. homo autem justus isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Ibd. lib. II. c. 9. §. 33. justis autem et fidis hominibus, id est viris bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis injuriaeque suspicio. Ibd. lib. I. c. 10. §. 31. sed incidunt saepe tempora, cum ea quae maxime videntur digna esse justo homine, eoque quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria. Ibd. lib. II. c. 10. §. 35. quam ob rem hoc loco ita loquimur, ut alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes dicamus.

*) Vide, quae de hac notione viri boni disputata sunt a Beiero in annot. ad lib. I. de off. c. 7. p. 46. et ab Heusingero ad lib. II. c. 1. §. 3., qui idem observat, cum irrisione saepe dici viros bonos, qui non satis sint docti.

Tertia denique hujus adjectivi notio ea est, ut significet cives bonos, qui rei publicae cupiunt, et quoniam consilia sua optimo cuique probata esse voluerunt, optimates nominati sunt. Conf. Cic. or. pro Sext. c. 45. Atque si hanc vim habet adjectivum, semper fere nomen viri omissum esse videmus; atque adeo distinguitur in Epp. ad Fam. lib. I. ep. 9. §.10. bonus civis a bono viro. Conf. or. pro Sext. c. IV. §.11. quum jam Capuam metu Sextius liberasset, urbem senatus atque omnes boni, deprehensis atque oppressis domesticis hostibus — ex periculis maximis extraxissent. Orat. pro Mil. c. V. §. 12. nonnulla apud bonos gratia. Ibd. c. XV. extr. vos et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet. Epp. ad Fam. lib. I. ep. 9. §.10. Erat hoc mihi dolendum: sed multo illud magis, quod inimicum meum — meum autem! immo vero legum, judiciorum, otii patriae, bonorum omnium — sic amplexabantur. Ibd. §.12. Idemque memineram — — quum sententiae, nostrae magnum in senatu pondus haberent, unum fere sensum fuisse bonorum omnium. Ibd. §.13. singularis omnium bonorum consensio. Or. pro Mil. c. XXXIII. extr. M. Caelius, vir et in re publica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus. Epp. ad Fam. lib. IX. ep. 14, 7. Or. pro Mil. c. XV. §. 40. Or. pro Muren. c. XXV. §. 50. Or. pro Sext. c. I. §. 1. §. 5., atque ita aliis permultis locis, quos enumerare longum est, optimates dicuntur simpliciter boni, non addito viri nomine.

Plurimas autem cautiones hic usus adjectivorum habet in appositione, quam dicunt; quum vel ea adjectiva, quae frequentissime substantivorum locum tenent, veluti doctus, in appositione nominibus viri vel hominis carere non possint.*) Non tamen huc referenda sunt adolescentis, familiaris, aequalis nomina, quibus, quum eandem plane vim habeant, quam substantiva ipsa, viri vel hominis vocabula addere non necesse est. Cfr. Cic. de off. lib. II. c. 14. §. 49. Idem fecit adolescens M. Antonius. Brut. c. LXIV. §. 228. Namque Hortensii admodum adolescentis ingenium ut Phidiae signum simul adspectum et probatum est. Or. pro Arch. c. IV. §. 7. extr. professus est apud praetorem Q. Metellum, familiarissimum meum. Epp. ad Fam. lib. IX. ep. 13. §. 1. C. Subernius Calenus et meus est familiaris et Leptae nostri familiarissimi pernecessarius. Ibd. §. 2. Eadem causa fere est M. Planii Heredis, qui est item Calenus, Leptae nostri familiarissimus. Or. pro Mil. c. XVII. §. 46. Brut. c. XLVIII. §. 178. Ejus aequalis P. Cethegus &c. Ibd. §. 179. Cujus auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus — fuit. Ibd. c. LXVIII. §. 239. Nam ejus aequalem M'Glabrionem — socors ipsius natura — tardaverat.

Contra, ubi adjectiva vel cognomen alicujus viri, vel locum, unde quis ortus est, indicant, omitti solent in appositione viri vel hominis vocabula. Tritissima sunt illa: Aristides Atheniensis, Epaminondas Thebanus, Hippias Eleus, Cato Major, Scipio Africanus, Sulla Felix, Crassus Dives, Laelius Sapiens, alia multa.**) Cavendum autem est, ne haec adjectiva dives, felix, sapiens, quae cogno-

*) Rem non eo modo, quo par erat, definivit Weissenborn. in Grammat. ling. Lat. §.215. not. 3., quum praecepit: „Auch Adjectiva, besonders wenn sie Bestimmungen haben, können Apposition sein, in so fern sie substantivische Bedeutung erhalten."

**) Item cognominis vim habent vocabula, quibus cui philosophorum disciplinae quis addictus fuerit, significari solet; ut Aeschines Socraticus, Phaedrus Epicureus, Democritus physicus, similia. Cfr. Cic. de off. lib. II. c. 24. §. 86 et §. 87.

mina sunt virorum, pro adjectivis attributivis, uti nunc loquuntur grammatici, habeantur. Alienum est enim a consuetudine latini sermonis, nominibus propriis addere adjectiva; quae si addenda sunt, cum viri vel hominis vocabulis conjuncta appositionis locum teneant necesse est. Vid. Krebs. Antib. ling. Lat. §. 36. p. 23. Loci autem, qui huic regulae repugnent, paucissimi reperiuntur; veluti in lib. II. de off. c. 14. §. 48. Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum — sic enim accepimus — quibus praecipiunt &c., quo tamen loco Hottinger. et Schuetzius, quum inusitata hac verborum conjunctione offensi essent, ex cod. Gud. sec. non sine justa causa virorum vocabulum addendum esse censuerunt. Ibd. §. 50. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui juris civilis inprimis peritus fuit. Orat. c. XXX. §. 105. sed tamen quod jam et hunc tu oratorem cum ejus studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti &c. Brut. c. XXXIII. §. 127. Huic successit aetati C. Galba, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et juris periti gener — ubi tamen quum proxime antecedat viri nomen, non necesse erat id repetere. — Facilius autem in appositione adjectivum locum potest habere, quum nomen, cui adjunctum esse oportebat adjectivum, ex eo aptum est. Conf. Cic. de off. lib. II. c. 17. §. 57. et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio, magnificentissima aedilitate functus est i. e. cum homine omnium hominum moderatissimo; nec dissimile est, quod legitur in eodem lib. II. de off. c. 14. §. 51. quod scribere — — non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio.

Reliquum est ut videamus, qua ratione adjectivis substantivorum loco positis alia adjectiva adjungi possint; qua quidem in re non minorem diligentiam, quam in illo appositionis genere adhibendam esse animadvertimus. Praecipiunt autem grammatici,*) adjectivis, quae substantivorum locum teneant, alia adjectiva, nisi numeralia aut possessiva adjungi non solere, inprimisque vitandum esse, ne adjectiva, quae magnitudinis notionem habeant, cum aliis adjectivis conjungamus. Vid. Krebs. Antib. §. 34. p. 22. Quod etsi verum est omnino, tamen nonnunquam etiam, quamvis raro, adjectiva qualitatis quae dicuntur, cum aliis adjectivis videmus conjuncta esse. Cfr. Cic. epp. ad Att. lib. XII. ep. 21. §. 5. quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam. Lael. c. XV. §. 54. nec quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Lib. II. de off. c. 20. §. 70. Videndumque illud est, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut, si forte, in liberis ejus manet gratia; sin autem inopem, probum tamen, omnes non improbi humiles — praesidium sibi paratum vident. Epp. ad Q. Fratr. lib. I. ep. 3. §. 1. Ego te videre noluerim? Immo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum — ne vestigium quidem ejus nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. Lib. II. de finib. c. 34. §. 114. Quodsi in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, pulchritudo; quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt. Cornel. Nep. V. 4, 3. complures pauperes mortuos suo sumptu extulit. — Sed cavendum est etiam, ne quum adjectiva numeralia adjecti-

*) Vid. Ramshorn. Gramm. ling. Lat. p. 481. Weissenborn. Gramm. p. 228.

vis adjungimus, a Latini sermonis consuetudine inconsiderate recedamus. Ita et saepe quidem legimus: omnes boni; quoniam, uti supra demonstravimus, boni iidem sunt, qui aliis locis boni cives vel optimates dicuntur; sed erraverit, qui cuivis adjectivo numerale illud adjungi posse credat. Non enim dicere licet: omnes docti, omnes optimi pro doctissimo quoque, optimo quoque. Atque hoc idem in omnia fere cadit adjectiva, quorum quidem gradus comparativi, qui vocantur, non sunt inusitati; nisi ipsum adjectivum numerale substantivi vim habet, eique aliud adjectivum, quod appositionis locum tenet, adjunctum est: veluti in Cic. or. pro Caecin. c. XXXV. §. 101. Neque enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit i. e. omnibus vel antiquissimis. Act. in Verr. II. lib. V. c. 69. in. omnibus iniquissimis meis. Sallust. Cat. c. XXX. §. 5. quibus omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat — ubi vid. Kritz. — Contra ut omnis adj. superlativo adjungi non solet, ita, si quidem communem loquendi morem sequimur, non licet pron. quisque cum positivo gradu adjectivorum conjungere; cui tamen recte adjungitur quivis. Cfr. Cic. ad Fam. I. ep. 9. §. 18. Sed laetatus tamen sum, quod mihi liceret in eadem causa et mihi utilia et cuivis bono recta defendere. Vid. Grysar. in libro: Theorie des lat. Stils, pag. 174.

Maxima autem cautio adhibenda est in usu adjectivi nullus; cujus ea est natura, ut, si a plurali numero discesseris, cum aliis adjectivis vix ac ne vix quidem conjungi possit. Itaque facile est intellectu, alienum esse a Latini sermonis consuetudine, dicere: nullum Romanum, nullum Graecum, nullum mortalem, nullum beatum, nullum sapientem, nullum alium, similia,*) non minus quam nullum Romanorum, nullum mortalium &c., verum si talia verbis significanda sunt, dicendum est: nemo Romanus (Liv. III. 60, 3. VIII. 30, 3), nemo mortalis (C. de republ. II. 10, 7. Lael. V. 18.), nemo beatus (C. de finib. V. 28, 84.), nemo alius (Brut. 88, 302. Or. pro Mil. 17, 46.), nemo eloquens (C. de orat. I. 21, 94.), nemo mediocriter doctus (Tusc. disp. II. 3, 7. I. de fin. III. 1, 3.), nemo plebejus (Liv. IV. 4. m.); aut quod eandem vim habet: quisquam stultus (C. de fin. I. 18, 59.), boni cujusquam (Epp. ad Fam. XI. 28, 1.), cuiquam bono (Tusc. disp. I. 41, 99.), cuiquam docto (Tusc. V. 39, 114.), quemquam bonum (Epp. ad Att. XI. 1.) — aut si quae partis est significatio: nemo mortalium (Liv. XXVIII. 25, 5.), nemo pugnantium (Liv. XXII. 5, 8.), quisquam mortalium (C. pro Rosc. Com. 6, 18.), stultorum quisquam (C. de finib. I. 18, 61.), mortuorum quisquam (C. Tusc. disp. I. 36, 87.) alia. Nec magis hoc adjectivo uti licet, si alteri adjectivo adjunctum est nomen substantivum; veluti quum dicimus kein grosser Mann, kein guter Dichter, Latini aut nemo usurparunt (nemo vir magnus, nemo poëta bonus), aut adjectivo addiderunt negationem non, ut non mediocre studium (kein geringer Eifer), industria non mediocris (keine kleine Mühe), similia.

*) Recte tamen dici potest nullius Romani, nulli Romano, nullo Romano, quoniam genitivus, dativus et ablativus hujus adjectivi casus substantivi locum tenent. Vid. Stuerenburg. in Commentat. grammat. II. c. 4. pag. 186.

**) Pluribus exemplis, quorum nonnulla attulimus, hanc rem illustravit Stinner. l. c. pag. 4. sqq.; qui tamen in eo errasse videtur, quod in gentilibus tantum nominibus id factum esse existimavit, ut diceretur nemo Romanus, nemo Arpinas, nemo Siculus; ceteris autem adjectivis nullum recte adjungi posse putavit. Sed in his non magis, quam in illis veteres scriptores adjectivo nullus usi esse videntur; nec multum comprobatur duobus illis locis, quos ex Livio attulit: lib. IV. c. 25. §. 10. nulli unquam plebejo, et lib. XV. c. 34. §. 11. nulli alii — senatum crediturum esse, — quum Livio, uti Stuerenburg. l. c. demonstravit, dativus nulli usitatior etiam sit, quam dat. nemini. — Quae vero apud eundem Livium leguntur: nullius alterius (lib. XXX. c. 23. §. 4.) et apud Ciceronem nullius amantis consilio (epp. ad Att. I. 18, 2.), non sunt huc referenda, quum in hoc adjectivo, uti supra dictum est, legitimus sit usus genitivi casus et ablativi pro neminis et nemine.

His igitur, quae disputavimus, etsi id effectum esse puto, ut intelligatur, aliquanto latius patere hunc usum adjectivorum in Latino sermone, quam grammatici id concessum esse voluerunt, tamen, si ea res cum Graecae vel Germanicae linguae ratione comparetur, negari non potest, rarius a Latinis adjectiva pro substantivis usurpata videri. Cujus quidem rei causa non tam quaerenda videtur esse in natura adjectivorum, aut in eo, quod Latini articulo caruerunt, quam in natura atque indole linguae ipsius. Constat enim, Latinos non modo inopia quadam substantivorum laborare, sed etiam ubi substantiva nomina suppetunt, tamen usum eorum multis locis evitari. Vid. Handii Lehrb. des lat. Stils, 1833. pag. 87. Hinc factum est, ut adjectiva itemque participia, etsi substantivorum loco poni poterant, tamen eandem ob causam evitarent, qua substantivis ipsis Latini saepe abstinuerunt. Ita quum dicere liceret nemo vivorum, nemo mortuorum, saepius tamen reperitur nemo eorum, qui vivunt; nemo eorum, qui mortui sunt. Etsi animum audientis commovere, et animos audientium inflammare, non est inusitatum, saepe tamen etiam legimus: animos eorum, qui audiunt, commovere, inflammare.

Schulnachrichten,

mitgetheilt vom Conrector Döring.

Eingedenk des Grundsatzes „bene vixit, qui bene latuit," hat das Lehrercollegium auch in dem verflossenen Jahre in stiller Wirksamkeit die ihr anvertrauten Zöglinge zur Humanität zu bilden und ihnen die Vorbereitung zu höhern Studien zu geben gesucht. Und trotz der beklagenswerthen Krankheit, welche den Herrn Rector M. Rüdiger schon seit Neujahr unserer Anstalt fern hält und welche die Thätigkeit der übrigen Lehrer in erhöhtem Maase in Anspruch nahm, können wir unsern Schülern das Zeugniss nicht versagen, dass wir zum grössten Theil mit ihren Fortschritten zufrieden sind und dass ihr sittliches Betragen im vergangenen Jahre mehr als je unseres Beifalls sich erfreuen durfte. Hat demnach auch diessmal die Schülerzahl sich vermindert, so dürfen wir uns mit dem Gedanken trösten, dass wir nur das Schicksal der Schwesteranstalten theilen, dass nur die Ungunst der Zeit und die sichtbare Abneigung gegen Universitätsstudien dieses Resultat herbeiführen konnte. —

Dagegen erhielten wir aufmunternde Beweise, dass unsern Stadtschulen auch höhern Orts eine fortwährende Aufmerksamkeit geschenkt wird. Eine Verordnung des Hohen Ministerii des Cultus und öffentlichen Unterrichts, begleitet von der Schrift „Hephata von Zürn, Leipzig 1841," empfahl nachdrücklich unausgesetzte Wachsamkeit über das Laster der Selbstbefleckung, das so oft durch böses Beispiel auch den Unerfahrenen

verführt und den Keim jugendlicher Entwicklung in dem zartesten Alter zerstört. Haben wir auch glücklicherweise in dieser Beziehung noch nie unter unsern Zöglingen betrübende Erfahrungen gemacht, so sind doch die beherzigenswerthen Winke keineswegs unbeachtet geblieben.

Eine erhebende Feier brachte uns der zweite Juny. 300 Jahre sind verflossen, seit die Lehranstalt in die Räume des Gebäudes einzog, welches sie noch immer in seinem Innern hegt. Das ehrwürdige Alter, die Erinnerung an die Segnungen, welche in einem so langen Zeitraum die Zöglinge an Geist und Herz erfahren haben mussten, und der Gedanke an die Stürme der Zeit, die auch an dieser Anstalt vorüberzogen, an die Wechselfälle, denen auch sie preisgegeben war, weckten in einem öffentlichen Actus vor dem Kreise ehemaliger Zöglinge, die auf ergangenen Ruf von fern und nah herbeigeeilt waren, manch anregendes Wort und klangen beim heitern Mittagsmahl in sinnvollen Sprüchen nach, ohne dass man der Gegenwart ihr Recht verkürzt hätte. Durch die wohlwollende Unterstützung des Hohen Ministerii des Cultus und des öffentlichen Unterrichts, so wie des hochverehrten Stadtraths, wurde es möglich, auch den Schülern des Gymnasiums in angemessenen Belustigungen einen Antheil an dem erheiternden Feste zu gönnen.

Auch in diesem Jahre haben ehemalige Zöglinge der Anstalt unsere Bibliothek durch dankenswerthe Geschenke bereichert; wir erhielten:

1) vom Herrn D. J. Petzholdt: Anzeiger für Literatur der Bibliothekwissenschaften, Jahrgang 1840. Dresden und Leipzig 1841. — Catalogi bibliothecae sec. gen. pr. Dresdensis spec. IV. Lips. 1841. — Bibliotheken der Klöster und des Collegiat-Stiftes zu Freiberg, Dresden 1842.
2) vom Herrn Ernst Gustav Vogel: Literarische Nachweisungen über frühere und noch bestehende europäische öffentliche und Corporationsbibliotheken, Leipz. 1839.
3) vom Herrn Tertius Zimmer: Karl Höck Römische Geschichte vom Verfall der Republik bis zur Vollendung der Monarchie unter Constantin, 1. Bd. 1. Abth. Braunschweig 1841. Ueberdiess übersendete
4) Herr D. August Beger sein Werk: Philosophie und Pädagogik, Dresden und Leipzig 1841.

Mögen auch fernerhin durch so schätzbare Beweise des Wohlwollens unsere literarischen Sammlungen bereichert werden, unsere Studien eine willkommene Aufmunterung finden!

Abgegangen sind im Laufe des Jahrs 1841 auf die Universität 7, auf die Bergacademie 5, ins bürgerliche Leben oder auf andere Anstalten 25, aufgenommen wurden 19; so zählten wir am Schlusse des Jahrs in den sechs Classen unseres Gymnasiums 87 Schüler.

Im Abiturientenexamen Michaelis des vorigen Jahres erhielten folgende Schüler das Zeugniss der Reife und gingen auf die Universität ab:

Heinrich Gustav Lindner aus Freyberg mit der Censur wissenschaftlicher Reife inprimis dignus [Ib.], und in moralischer Hinsicht nunquam reprehendendus [Ib.]; stud. Theologie.

Ernst Wilhelm Traugott Eckardt aus Weissenborn inprimis dignus [Ib.], nunquam reprehendendus [Ib.]; stud. Theol.

Emil Bruno Mosch aus Frauenstein omnino dignus [II.], raro reprehendendus [II.]; studirt Jurispr.

Hermann Heinrich Wiegandt aus Freiberg satis dignus [IIIa.], raro reprehendendus [IIb.]; stud. Jurispr. Lindner und Wiegandt erhielten das Richter'sche Viaticum und haben dem Stifter desselben in öffentlicher Rede ihren Dank dargebracht.

In der Abiturientenprüfung am 22. Febr. dieses Jahres erhielten folgende Schüler Erlaubniss, die Universität zu beziehen:

Gustav Wöllner aus Freyberg erhielt in Kenntnissen die Censur inprimis dignus [Ib.], in Sitten nunquam reprehendendus [Ia.]; stud. Jurispr.

August Hugo Messerschmidt aus Ablass bei Leissnig inprimis dignus [Ia.], nunquam reprehendendus [Ib.]; stud. Theologie.

Ernst Beck aus Schneeberg omnino dignus [II.], raro reprehendendus [IIa.]; stud. Medicin.

Wöllner und Messerschmidt sind die ersten, welchen das Sieghardt'sche Viaticum zu Theil wird, wofür sie in dem sofort anzukündigenden Schulactus ihren gefühltesten Dank aussprechen wollen. Es soll nämlich den 15. April das Andenken verehrter Wohlthäter unseres Gymnasiums, namentlich des Herrn Oberschiedswardein Johann August Sieghardt, so wie des Herrn Heinrich Eckhardt und seiner Schwester verehel. Richter, gefeiert werden, und werden folgende Schüler einen Versuch öffentlich zu sprechen machen:

Wöllner deutsche Rede: über Trennungen im menschlichen Leben (Sieghardt'sche Gestiftsrede);

Messerschmidt lateinisches Gedicht: das alte Deutschland (zu Sieghardts Andenken);

Carl Friedrich Julius Herrnsdorf aus Steinbach deutsche Rede: die Macht der Begeisterung (Eckhardt-Richter'sche Gestiftsrede);

Carl Thilo Meyer aus Freyberg lateinische Rede: über die wahre Vaterlandsliebe.

Den abgehenden Freunden wird

Lothar von Lüttichau in einem deutschen Gedicht „drei Sprüche" ein Lebewohl zurufen.

Die Herren Schulcommissarien, Patrone und Stadtverordneten, so wie alle Gönner unserer Anstalt, werden hiermit ergebenst eingeladen, diese Feier durch ihre Gegenwart zu erhöhen.

Freyberg, den 20. März 1842.